



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XIII. De unione animæ cum Deo, & subtractione gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

448 SOLILOQUIUM  
nia Deus benedictus in secula.  
Amen.

CAP. XIII, *De unione anima  
cum Deo, & de subtractio-  
ne gratia.*

*Psal. 62.*

**A**dhæsit anima mea post te.  
Deus meus consolator  
verus, tu scis, quia non tædet me  
tui: sed quotidie libet tibi in se-  
creto meo loqui.

Sed ubi te quæram, si forte ad  
horam perdidero? Quis me per-  
ducet ad te?

Tu super omnia Deus, & ego  
inter ista inferiora homo pau-  
perculus. Tu in cælo, & ego in  
mundo. Tu solus altissimus, ego  
verò mendicus sum & pauper.

Quis mensus est distantiam  
cæli & terræ? Hæc valde di-  
stant, sed tu longius à me.

Quis ergo me tibi adunabit?  
Aut tu facies, aut nullus pote-  
rit. Verumtamen si vis, fiet utique  
celeriter.

Tu autem nosti, quia cadere  
mihi proclivius ex me est, abs te  
vero stare donatur & proficere.

Ideo-

Anima  
etiam hic  
cum Deo  
uniri po-  
test,

Ideoque pendet anima mea ex  
dignatione spiritus tui, & infu-  
sione gratiæ salutaris. Jubente te,  
elevabitur de terra; avertente  
autem te faciem tuam, ad se con-  
turbabitur.

Propter charitatem tamen  
tuam & mansuetudinem, assumes  
me, & deducet me mirabiliter ad  
te dextera tua.

1. Quique terrigenæ & filii  
hominum audite, quia possibile  
est ac facillimum apud Deum; ut  
fiat, quod scriptum est: *Simul in*  
*unum, dives & pauper.* Pauper *Psal. 48.*  
ego sum, & omnibus indigens;  
sed dives iste; Deus meus est,  
nullius egens.

Vti con-  
stat di-  
versis te-  
stimoniis.

Hujus rei si non magnam ex-  
perientiam, habeo tamen fidele  
testimonium, unde id probem,  
quod possit anima Deo uniri per  
gratiam. *Dilectus meus* (inquit) *Cant. 2.*  
*mihi, & ego illi, qui pascitur*  
*inter lilia.* Hoc est testimonium  
amici & amicæ, sponsi & sponsæ;  
conveniens satis & validum sa-  
cræ legis testimonium.

Secundum autem simile est  
huic: *Volo Pater, ut omnes unum* *Ioan. 17.*  
*sint.*

*sunt, sicut & nos unum sumus.*  
 Ecce duorum librorum præclara testimonia: quibus liquide patet, Deo posse animam familiariter conjungi, secundam gratiam cœlitus ipsi datam.

Res quidem  
 difficilis, sed  
 non impossibilis.

Et si res rara est, tamen valde chara est, nec ignota amanti. Quamvis quoque sit difficilis, non est tamen penitus impossibilis.

Quam ergo Deus sibi sic conjunxit, nemo separare aut conturbare audeat.

Si stupes dignationem hujus unionis, obstupesce & admirare excellentiam bonitatis ejus, nec non & assumptæ humanitatis singularem unionem.

*Psal. 135.*

Licet ei agere, quod vult; qui facit mirabilia magna solus. Si meritum quæras, invenies beneplacitum voluntatis ejus.

Societas  
 cum Iesu  
 dulcissima.

3. O dulcis societas cum Christo, & sub alis Christi! O gratiosa conjunctio, plena dilectione & suavitate Spiritus sancti; quæ melius sentitur, quam dicitur!

Hæc pertinent ad animam,  
 quæ

quæ omnibus mundanis se fecit alienam; quam non tenet amor vitæ præsentis, sed furtim vexit secretum mentis.

Quanto istud notius est amanti, tantò obscurius est & mihi. Vellem tamen libenter interesse, quando animæ devotæ solet bene esse; est autem illi bene, dum fuerit cum sponso in meridie.

**Paucis  
nota.**

Est & illi male & multum ægre, si contigerit Jesum abesse, si desinant fluere aromata gratiæ; si minus sapiant literæ sanctæ; si tædet orationi aut meditationi insistere; si sic densantur cordis nebulæ, & tantum prævalent cogitationes noxiæ, ut cohiberi vix valeant, sed penè simul omnia bona priora obruere nitantur.

**Absentia  
ejus  
quàm  
noxia.**

4. O Domine Deus, quid sic facis? Quis est iste ludus? O pie Jesu, quid in hoc facto prætendis? Si tibi non displiceret, optarem latius inter te, & dilectam tibi habere colloquium.

Ex eo quod ipsa votis omnibus tuam gratiosam quærit præsentiam, qua castis foveatur deliciis:

**Et quàm  
molesta  
animæ  
amanti.**

ciis; miror cur ipsam pateris interdū federe sic desolatam. Quasi ipsa non esset, quæ te expetisset, ita pertransis & recedis,

*Isaia 26.* Ipsa autem gemens & sola. Ejus enim vox ista videtur: *Anima mea desideravit te in nocte.* NOX ei est, cum tu vera lux non ades. Precatur ergo tuam præsentiam, ne tenebræ peccatorum eam comprehendant.

Sentit utique incommoda multa, subtrahit sibi visitationis tuæ gratiâ. Nisi etenim aliquid passa esset, non tam desideranter post te clamasset.

*Psal. 62.* Clamavit & altera, cujus verba jam supra: *Adhæsit anima mea post te.* Sed nullam æstimo huic tam molestam fore vel videri molestiam, quàm tuam abesse præsentiam.

Quare subinde recedat, aut se subtrahat Deus animæ.

5 Et non mirum, si ex hac etiam carentia, incidat anima amorosa in quendam cordis sui languorem.

Tu enim difficulter quandoque inveniris, & cum fueris tandem inventus, illa gaudet ad reditum, sperans lætum diem  
age-

agere  
recessit  
tur.

T  
trans  
cedis  
ejus.

La  
lauda  
dulce  
illud

N  
lum  
testi  
novi

Si  
li do  
hi ob  
liber

judi  
cult  
per t

quæ  
noxi  
6, C  
trah

an  
eam  
Dile  
prie

agere tecum; sed minus caute de recessu tuo, nihil triste suspicitur.

Tu autem aliud tacite tractans, sæpè fugam exhibes. Recedis quippe repente de manibus ejus, illâ non præsumente.

Laudo te, in hoc quomodo laudabo? Si quid laudis habes & dulcoris, cur in hoc facto videris illud amittere?

Nisi tu esses, forsitan scandalum illi generares. Sed non potest in te scandalizari, à quo se novit tam valenter amari.

Si ergo quid justæ rationis tali documento figuras, indica mihi obsecro Deus. Vellem enim libenter intelligere; nec inutile judico vel parum inde scire. Occulta namque judicia tua nemo per se intuetur; sed lux tua est, quæ obscura quæque illustrat, & noxia fugat.

6. Quare igitur est, quod te subtrahis interdum tam occulte ab anima, ipsa ignorante? Diligis eam an non? Si diligis, cur fugis Dilecte mi? Si non diligis, cur pridem visitasti? Et jam si non  
dili-

454 SOLILOQUIUM  
diligis, cur denuo reverteris, &  
ostium pulsas, & intras?

Numquid levitate uteris eun-  
do & redeundo? Absit. Sed non  
est illi leve tam frequens altera-  
tio; quin imo nascitur turbatio  
non modica. Adhuc minor forsi-  
tan querela esset, si palam illi

*Ioan. 16.*

diceres: *Vado, & venio iterum,  
& gaudebit cor tuum, & gau-  
dium tuum nemo tollet à te.*

Nunc autem proverbium nul-  
lum dicis: sed illius verbi recor-  
datur, cuius veritatem experi-  
tur, quia *JESUS abscondit se, &  
exiit de templo.*

*Ioan. 8.*

Habeo ergo adversum te  
pauca: sed ex bona radice, orta  
est mea conquestio. Cupio hu-  
militer erudiri, non impatienter  
litigare. Dabis proinde interro-  
ganti responsum, cum fuerit op-  
portunum.

Anima  
desolata  
prias suas  
querimo-  
nias nul-  
libi secu-  
rius quam  
in Dilecti-  
sinum ef-  
fundit.

7. Loquatur etiam ad mayo-  
rem intelligentiam, aliquid pro  
se anima devota. Responde & tu  
libere partem tuam.

Dilectus enim patienter te  
audiet, & occurret verbis pacifi-  
cis, ne detrimentum ex eo patia-  
ris.

Quis



Quis enim te consolabirur, si non ipse fuerit consolator? Et tuam infirmitatem quis clementius feret, nisi qui cuncta sine onere portat?

Cui etiam tutius revelabis, si quid triste habueris, nisi omnia plene scienti? Aut cui magis fidem dabis, nisi non fallenti veritati?

Jam hæc si quis externorum audierit, & qui non est de amicis Sponsi, præ foribus arceatur. Sin verò Sponsum diligit, si fidelis fuerit, si devotus & internus, liber illi concedatur ingressus.

*Ejus cum  
Dilecto  
colloquiã  
quisnam  
dignus  
sit esse  
particeps*

Si custos conscientia; si amator virtutis fuerit & disciplina; si affectu purus, & intellectu clarus; si in se humilis, & ad suos pius; si bona audita non male capere, non vane efferre, non temere arguere, non animose defendere, non superbe prædicare novit; sed è contra, non intellecta venerari, obscura & mystica sane interpretari didicit; talis introducatur, & huic intersit gratis colloquio.

G g

Affe-

Affectus enim cordis ex verborum fonitu magis pensari debet quàm vocum qualitates.

Indica ergo mihi anima, qualiter te sustines absente Dilecti gratia? Ego me sentio minus leniter posse sufferre: si se in longum voluerit differre; & puto aliquid simile de te. Si vis, sedeamus hic pariter, & conferamus super hoc verbo, pro aliqua consolatione nostra.

CAP. XIV. *De tristitia animæ,  
absente dilecti gratia.*

Colloquium inter Theophilum,  
& Philotheam: seu inter Ho-  
minem & Animam.

*Psal. 118.*

**D**ormitavit anima mea pro-  
tadio.

T. Quis est iste sermo, quem loqueris? Quare dicis Sion, Reliquit me Dominus? Noli timere filia Sion, anima amans & speculans: ecce Rex tuus, dilectus dilecti, veniet tibi. Surge, sta in excelso; & vide iucunditatem, quæ veniet tibi à Deo tuo.

*P. Quid*

P.  
veni  
mibi  
ma r  
T  
amif  
ficut  
taba  
mar  
tem  
acc  
fon  
gar  
cor  
unc  
arg  
qu  
no  
qu  
cr  
bi  
al  
al  
P  
P  
f